

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)	zu Bild Nr. 0066
	0064
	0070
	0060
55	
sed non est ita. Ubi autem duo isti montes sint, patebit fol. 205. B. In processu autem venimus ad campestria Jericho adusta solis ardoribus, in locum Galgala, de quo loco multo- ties sacra Scriptura facit mentionem. In hoc loco filii Israel castra metati sunt transito Jordane et primam mansionem ibi aceperunt terrae sanctae et circumcisi ibi secundario fuerunt et celebraverunt ibi pascha et de fructibus terrae sanctae manducare coeperunt, nec amplius manna de coelo eis pluit gustatis fructibus terrae sanctae, ut habetur Josuae 4. et 5. Aestimo autem, quod illo in tempore, quo Josua cum filiis Israel in Galgalas venit, nullum ibi fuerit aedificium, nec villa, nec civitas, sed super nudam humum exercitus se diffudit in campestribus Jericho. Sed postquam filii Israel tentoria ibi fixerunt, aedificia aliqua ibi exstruxerunt pro tabernaculo Do- mini et arca testamenti, quae multis temporibus ibi mansit, et pro XII lapidibus, quos Josua jusserrat filios Israel de Jordane tollere, quando per medium alvei transiverunt sicco pede, quos etiam posuit in Galgalis, ut dicitur Josuae 4.	0075 0055 0115 0015 0165 0565
Legi in uno vetustissimo peregrinali, quod in Galgalis in eo loco, ubi arca Domini steterat et in quo illi XII lapides jacebant, Christiani quondam solemnum ecclesiam aedificave- runt, in qua repositi erant praedicti lapides, et erant impoliti, et tam magni, ut duo viri non poterant faciliter unum de terra levare. De quibus unus aliquo casu in duas partes confractus est, et iterum ferro artificialiter junctus. De ista tamen ecclesia nos ruinas non poteramus considerare, locum tamen libentissime vidimus, et procidentes humum sanctum deosculati (203 A) sumus, qui profecto sanctus est, in quo Josua jesus est calceamenta pedum exuere. Nam cum vir sanctus et fortis, Josua, ibi esset in agro, vidi virum stan- tem cum evaginato gladio ante se, ad quem accedens intre- pide Josua dixit: noster es, an adversariorum? Respondit: nequaquam, sed sum scilicet Michael princeps exercitus Domini, et nunc venio tibi in adjutorium, Josuae V. Locus ille ab antiquo sanctus fuit reputatus, et propter sanctitatem ejus cuneus prophetarum hic habitavit, tamquam conventus religiosorum, ut habetur 4 Reg. 4. Et fuit primus locus, in quo devoti homines simul cohabitare coeperunt sicut religiosi	1065
	Ende
	Anfang